

morte) auditos in funere eius <sup>a</sup> Martiæ gemitus semet inculantis, quòd caufa exitij marito fuisset. Vt cunq; se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius, properis matris literis accitur. Neque satis comper- tum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit. <sup>b</sup> acribus namq; custodiis domum, & vias sepserat Liuia; læ- tique interdum nuntij vulgabantur; donec prouisis quæ tempus mone- bat, simul excessisse Augustum, & rerum potiri Neronem fama eadem tulit. <sup>c</sup> Primum facinus noui principatus fuit Posthumi Agrippæ cæ- des: quem ignarum, inermumque, quamuis firmatus animo, centurio ægrè confecit. Nihil de eare Tyberius apud senatum differuit. Patris ius- sa simulabat, quibus præscripsisset tribuno custodiæ adposito, ne cun- ctaretur Agrippam morte adficere, quando cunq; ipse supremum diem expleuisset. Multa sine dubio, sæuaque Augustus de moribus adulescen- tis questus, vt exilium eius senatus consulto sanciretur, perfecerat. cæte- rum <sup>d</sup> in nullius vnquam suorum necem durauit. <sup>e</sup> neque mortem ne- poti pro securitate priuigni inlatam credibile erat. propius vero, Tybe-

## OBSERVATIONES.

<sup>a</sup> Etiam atque etiam cauto opus est, ne, quod arcanum esse volumus, id vxorum taciturnitati qua nulla est, credamus. quippe deblaterant omnia; plena rimarum sunt; tacere sciunt nihil; nec intel- ligunt, dum lingua moderari nesciunt suis se viris perniciem sæpius afferre.

<sup>b</sup> Quam grande momentum sit in occasionibus scienter captandis, vel hinc intelligere licet, quòd sæpe ad maxima imperia, arte magis, quam vi peruenitur. Cæterum quod ad rem pertinet, hoc agam. Si quem principi graui morbo implicato, & de cuius salute desperatur, proximum successorem de- stinas, emulum, quisquis esse potest, prius amoue, ac lepide, hoc pacto, ludificare. Vide, ne principis mors prius vulgetur, quam cui faues, quæ tempus monet, prouiderit; & quæcunq; ad poter- tiam, & principatum adipiscendum pertinent, diligenter conquisita, & collecta in promptu ha- beat. ideoque acribus custodius regia quoquoersus vt septa sit, imprimis cura; ne quicquam eo- rum, quæ intus sunt, à quoquam enunciari possit; donec is, cui operam dæ, ad id, quod vult, per- uenerit; simulque & excessisse principem, & rerum potiri quem vs, idem nuntius, fama que ea- dem ferat. Tale quiddam legitur lib. 12. *Annal.* Iam primum, inquit, Agrippina velut dolore victa, & solatia conquirens, tenere amplexu Britannicum; veram paterni oris effigiem appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque, & Octauiam sorores eius attinuit, & cunctos aditus custodius clauserat.

<sup>c</sup> Non satis est, imperium adipisci; sed & emulus, si quis est, si non continuo amouetur, maximum ab eo periculum est, quippe mansura hand dubiè emulatio & discordia est, si non earum semina continuo restringantur. ei periculo tribus rationibus obuiam itur, nam aut is magnitudine benefi- ciorum deuinciri potest, ne altiora spectet, ac tentet: aut, si hoc parum est, specie honoris, in login- qua loca amouetur; ibique in custodia habetur; aut (id quod in maximis imperiis expeditissimum, & tutissimum est) proximis euertitur. Quòd si quis clamitat, indignum facinus esse, innocentem, nec opinantem opprimi; huic oppono verissimum illud Taciti dictum, *Annal.* lib. 14. *Habet ali- quid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.*

<sup>d</sup> Hominis est valde sæui, durare in necem suorum.

<sup>e</sup> Vix credibile est, quemquam eò sententiæ denenisse, vt ideo propinquiorum interimat, vt remotiorum faueat.